





1. de Beaufibre s. Isaacij  
 diff. de novi Foederis  
 Libris Apocryphis,  
 Berolini, 1739.
2. von der Hardt s. Henr. I  
 tractatus Talmudi,  
 cur de Playis statu  
 quicquidum iudicarum  
 Helmstadt, 1720.
3. Epistola  
 iocelis Prophetæ ad  
 Regem iehoramum,  
 Helmstadt, 1720.

15  
3

# BENEFICIUM VERSIONIS FONTIVM HEBRAICORVM, *LUTHERI*

A. MDXXI. mensibus æstivis, in patmo,  
*pro versione paranda*  
hebraicas & græcas literas excolentis  
*memoria seculari*  
in academia Julia  
A. MDCCXXI. d. XXI. Augusti  
*publicæ feria loco*  
in auditorio illustratum

*ab*

HERMANNO von der Wardt /  
Acad. Jul. Sen. & Præp. Mariæb.

---

*Helmstadt,*  
Typis SALOMONIS SCHNORRII.

MDCCXXI.

**A**nte Brunsvicenses has nundinas, mente  
 augusto, *Josua extiteramus comites in  
 castris Gilgalensibus, supra Hierichuntem,*  
 ad boream, qui coram arca fœderis cum Israelit  
 arum senioribus prostratus, calamitatem gen  
 tis publicam deplorarat, cælo in obsidione urbis  
 Ajensis judaico milite. Cum ergo Josuæ in lu  
 étu injungeretur ad sua redire negotia, nobis  
 commilitonibus ejus, hodie e re fore visum est,  
 in sorte *Josua*, pro exploranda veritate, contem  
 plari *sortem versionum codicum hebraicorum*. Ver  
 siones nobis pro sortibus Josuæ, ad detegendum  
 interpretum errores. Ansam nobis dedit *rever  
 datio fæti Lutheri*, ante hos ducentos annos, 1521,  
 qui cum in patrum mense majo concesserat,  
 inde non digressus ante martium anni 1522, in  
 terea solus in arce *Wartburgo* degens, mensibus  
 his æstivis *lingua hebraica & græca studio* se totum  
 dedisse fertur; hoc quidem fine, ut *veteris & no  
 vi testamenti hebraicos & gracos codices in vernacu  
 lam transferre posset. Qui igitur pridem in militi  
 bus Josuæ locum habueramus, nunc & in literis  
 his *commilitones Lutheri* nos esse juste recordaba  
 mur, oraculum *Seckendorfii* attentes, *Hist.  
 Luth. f. 204.* Diligenter incubuerat in ista solitudine  
*sua Lutherus* per totam astatem anni 1521, excolenda  
*lingua hebraica & græca*, ut *versioni, quam meditaba  
 tur, parem se præstare posset*. Exstabant quidem ver  
 siones bibliorum germanica, Norimberga annis 1477.  
 1483. 1490. item Auguste 1518. typis publicata, sed  
 nullo populi fructu, cui nec legi permittebantur, nee  
 ob*

ob stylis & typorum horriditatem satifacere poterant.  
Incommodis istis remedium querens Lutherus & veri-  
tati operam dedit, dum, quantum poterat, sensum scri-  
ptura genuinum ex textu originali sequebatur, & per-  
spicuitati sermonis studebat.

Nobis, qui ducentis a Luthero annis vivimus,  
fortuna affulxit serenior, quando praesidiis jam  
instructi locupletioribus, gaudemus merito,  
nos ex gentibus oriundos fontibus frui sacris,  
non pro rivulorum gustu, sed pro scaturiginis  
primæ suavitate integritateq;. Nostrum itaque,  
comparare avitam ignorantiam, quando inter  
proavos coluimus idola, cum praesenti peritia,  
qui fontibus potimur sacris. Mira tempora  
& fatorum vicissitudo, quando idola gentes fu-  
imus venerati, nunc christiani fontium dulcedi-  
ne delibuti.

Si Luthero ad nos redire daretur, nostra luce  
gavisus suæ ætatis ortum auroram diceret pri-  
mam, cuius diem nobis gratuletur, certe lucem  
sereniorem. Quamobrem, quando illa ætate  
conatus vir solertissimus versionem utriusque fœde-  
ris vernacula juxta fontes apparare; quod Eras-  
mus in græco nuper ante illum tentarat latine,  
in hebraicis tecte moliebantur alii, odii metu  
retenti plus, quam fiducia gratiæ animati. No-  
strum hodie fuerit, meminisse, quæ fata fuerint  
remotis jam seculis adilla tempora versionum, ra-  
tione fontium hebraicorum. Inter Iudaos ante æta-  
zem Christi, contigerat, illos dedidicisse linguam  
avitam, & præter Chaldaicam & Syriacam diale-

*Etos graciam pro vernacula adscivisse, illos præser-  
tim, qui extra Judæam, in Africa, Asia & Euro-  
pa sedem erant a multis seculis, certe abAlexan-  
dri temporibus nacti, quibus illud os nativum.  
Judæi tunc & græci labris pares, nec Judæi he-  
braica, nisi in scholis ut hodie instituti, in sua  
patria callebant.*

Ut igitur populo, avitæ linguæ imperito, con-  
suleretur aliquo modo, *versionis ac interpretatio-*  
*nis beneficium* fuit quæsumus. Ut principes per  
interpretes in remotis terris & regnis agere no-  
verant, ita & scripta sacra, in synagogis præle-  
gi sueta, utpote vulgo ignota, populari dialecto  
exprimi ac reddi cum fructu posse animadver-  
terunt. Juncti proinde lectoribus mosis per  
synagogas *interpretes chaldaici*, qui quod illi he-  
braice legissent, redderent chaldaice, ut intelli-  
gerent sensum, qui hebraica ignorarent. Jam  
ab Esræ ætate id fuisse inter Judæos usitatum,  
vulgo ex Esræ historia asseritur. Seræ potius *a-*  
*tatis* fuerit *institutum*, post *Maccabaorum tempora*:  
In primis usus, per sabbata mosen integrum an-  
no quolibet legendi, per sectiones distinguen-  
di, & totum corpus mosaicum quotannis absolvendi,  
tum & mosaicis פְּרִשׁוֹת, ἀΦορισμοῖς,  
*sectionibus*, sociandi ex prophetis הַפְּתֻרוֹת, δευτे-  
ρόcess, *consectaria*. Neque enim illa anniversariæ  
integræ & plenæ auctæque lectionis publi-  
cæ ἀνγίβεια, per tam justa textuum intervalla,  
ex mose & prophetis, ætate Christi comparuit,  
quando prælegentis arbitrium & scopus nunc  
hæc

haec nunc illa elegit, quod & ipse Christus plus simplici vice fecit. *Illa sane constitutio republica iudaica est posterior*, quando in exilio consilia inter antistites & doctores inita, de rebus sacris, ritibus & moribus, ut & universo gentis exulis gubernandæ & ab apostasia ad gentes vel christianos retinendæ modo. Quæ *liturgia* non uno seculo in præsentem apud Judæos ordinem est digesta, sed subinde emendata. Sane divisio iusta pentateuchi, pro lectione sabbatica, signis ac notis definita, recens, hierosolyma deleta aliquot seculis posterior. Totum corpus juris iudaici, *Mishnah* post templi cineres, diu satis, congestum a R. Jehuda ex majorum traditis, pro civilibus & sacris illorum rebus in exilio gubernandis. Neque vero allegati jurium illorum aut constitutionum autores, vetustiores uno ante templum deletum seculo; rara mentio remotiorum. Ut illa *jurium digestio tam sera*, ita & *liturgie hodierna circumscriptio etatem non habet majorem*, quæ fere *Hillelis posterioris* prudenter atque autoritatem arguit.

Unde porro perspicuum, *versiones chaldaicas*, *Onkelosi & Jonathani*, in mose & prophetis, *atatem Christi priorem aut aqualem frustra apud Judeos singere*, quæ omni suo stilo statum populi in exilio referunt, & multis locis christianaæ doctrinæ sunt oppositæ, ad præmuniendam gentem in iudaica professione contra mutationem. Neque ab *Hieronymo*, qui Judæorum res scrutatus follicite, visa vel illarum una, qui nec

Onkelosum nec Jonathanem memorat. Quod nequaquam intermisisset. Post Aquila, Symmachi & Theodotionis tempora, & ad exemplum illorum in *ingracis*, chaldaicas quoque versiones concin-nare placuit, & plus in babyloniarum synago-garum usum, quam occidentis & europæarum. Nominata vero antiquorum autorum, Onkelosi aut *Aquila* & Jonathanis recentibus scriptis prafigere, & au-toritatem avitam prætexere, illis seculis suerum. Talibus sane usi sunt in vertendo codicibus, qui post seras descriptiones, amanuensium jam sen-ferant negligentiam. *Hagiographorum* versiones *Chaldaicas*, talmude ipso esse posteriores, illius expressæ laudes, mixtæ, abunde testantur.

*Græca Iudaorum* versio chaldaicis longe est antiquior, ætate Christi prior: Quando in magna apud Judæos suæ linguae rerumque avitarum ignorantia, misertus *Alexander Jannaeus*, *Judaorum rex* & *Pontifex maxi-muu*, suæ gentis, de versione græca illi pro-spexit, ut haberent vulgo, quod lege-rent, suo jam ore. *A Ptolemao* græcæ versio-nis judaicæ repetere exordium, quod ex Ari-stæ fabula factum erat hactenus, judæos in-ter & christianos, vanum & inane esse mon-u-erunt nuper ac demonstrarunt *Witziu* & *Ho-dy*, *Batavus* & *Anglus*; Quos tædet fuci ve-teris, de septuaginta iudaorum senioribus a Ptole-meo in egyptum vocatis, cellis aut museis rotidens clausis, & divino instinctu in eandem omnibus ver-sionem non duxis sed tractis. Ex quo somnio fa-bula

bula nata septuaginta interpretum, septuaginta viralis versionis charactere barbaro & falso. Longe post Ptolemæum Philadelphum græcam illam judaicam versionem natam esse agnovere dudum & alii, in quibus & Usserius. Alexandri sane Jannæi atatem non superat, ullis indiciis firmis, cum inter Judæos antea litteræ græcæ essent magis odiosæ & invisæ quam jugum, quod horrebant, græcum. Non ausus fuisset privatus, vel & eorum numerus, hoc genti exosum opus aggredi, & græce mosen & prophetas reddere, eamque græcam versionem omnium manibus ingerere, quod horruissent omnes. Ast Jannæi regis, judæorum atque summi simul pontificis, prudentia, autoritas etiam & potestas suprema, efficerit tandem, ut fieret, quod fieri non posse existimatum ante. Ille, pro innata sagacitate id agebat, ut judæos per ægyptum præsertim sparsos, græco ore usos, sed peculiari suo in ægypto, ad Bubastin, Oniæ templo & proprio Pontifice usos, omnibus modis sibi devinciret, & ne a judæis in Palæstina recederent, sed devincti illis manerent, omni contentione epistolis etiam ad illos datis allaboravit. Hoc prudenti & salutari scopo, ut regem & pontificem decebat, pro unione suarum gentium vel concilianda in religione vel retinenda, ne palæstini & ægyptii judæi religionis discrimine in dissidia ruerent utrique parti tandem exitiosa; non tam permiserit, quam suaferit, unum

omnibus legi corpus legum, diversa licet dialecto, hebraica & græca. Hujus igitur consilio factum apparet, pro regis & Pontificis eminentissima potestate, ut ægyptiis, Alexandrinis judæis, codex committeretur hebraicus, quem græce redderent in suos usus, pro iudaicis legibus & rebus cognoscendis. Quæ opera non unius viri, sed multorum labore partito constitit; cuius autorum discriminis index apertus styli diversitas ingens. Quanto Jannæi regis & Pontificis scopus integrior, tanto primus ille conatus infelicior, quod incideret in viros, græce plus quam hebraica lingue peritos, bonarum ceterarum literarum ruas, geographia & historia, avita etiam iudaicæ plane expertes. Unde versio nata, non doctrinæ cultu, non sententiæ genuinæ sensu, sed solo græci oris habitu conspicua, a mose & prophetis plerumque longissime remota. Non regis hoc & Pontificis culpa, qui integriorem optasset, sed fatti injuria, quæ peritiores non permisit interpretes; in primis cum interpretari digne sumum sit artificium, omni politiori literatura suffultum. Impoliti interpretes judæi impolitam dedere versionem græcam judæis & græcis. Iniquitas fortunæ hujus toleranda fuit, donec alia ætas adultior primam corrigeret infantiam. Admissa ergo, qualiscunque esset, regis & Pontificis autoritate munita, versio prima græca, iudaicæ universæ genti sacra. Quæ vulgata & publica versionis græca inter iudeos autoritas,

toritas effecit, ut ab apostolis ad Iudeos grecos  
 scribentibus adscisceretur tanquam judæis pro-  
 pria & vernacula. Placuit hoc cœlo, pro in-  
 finita illius sapientia, ad judæos & gentes de-  
 mulcendos. Quæ ergo vix uno ante natum  
 christum seculo emerserat, omnium usu to-  
 lerata, uti a judæis, ita & a christianis, hisque  
 multo promptius, accepta & culta est. Quo-  
 modo admirabili fati prosperitate judæorum  
 & christianorum manibus publice privatim-  
 que trita est. Donec hierosolyma deleta, chri-  
 stiana re jam florente, *judaorum aliqui*, in qui-  
 bus *Aquila*, *Symmachus*, *Theodotion*, novam  
 quisque appararet versionem græcam ad fon-  
 tes propius hebraicos. Ut quatuor & plures  
 tandem existerent *versiones græca*, judæorum  
 calamo, qui hebraica nossent. Nec enim ul-  
 lus gentium, vel christiano jam nomine, id  
 præstare potis erat, quibus hebraica ignorare  
 ex avita hæreditate contigerat, quibus nihil  
 sanguinis, oris, doctrinæ, judæorum adnatum  
 erat. In tanto jam emendationis apparatu,  
 pene superfluo viso, *Origenes* quidem quinque  
 uno opere complexus est, ut memoria & u-  
 sus omnium apud posteros conservaretur, sed  
 invidia temporum nobis conspectum negavit,  
 & non nisi *fragmenta* singulorum indulxit, quæ  
 novissime magna sollicitudine *in unum corpus*  
*sunt collecta*.

Quandoquidem vero jam ante apostoli veteri  
*græca versione* erant usi, primi patres græci &

A 5 illam

illam amplexi retinuerunt, aliis relictis, nisi  
ubi quid obiter exinde esset lucis advehendum.  
*Græca sic ecclesia*, in patrum fastigio, *fontium  
hebraicorum*, paucissimis viris exceptis, qui a  
judaïs hebraici quid didicissent, *ignara*, pri-  
mæ illi imbecilli versioni græcæ acquievit, lon-  
ga posteritate æmula.

*Latinus* dehinc *christianus cætus*, si quis græ-  
ca nosset, & his bonis ut potuit usus est, donec  
græca illa versio transfunderetur in *latinum no-  
vum rivum*, ore novo. Neque potuit latium  
capere, quod græcia ignorabat, ex judæorum  
fontibus sacris. Non curatior versio, sed vel  
par vel deterior. Et hæc *vetus graco-latina* va-  
luit apud omnes, cum melior ac integrior non  
suppeteret. Cum annis, visum aliquibus con-  
sultum, vulgatam illam latinam, ex vulgata græ-  
ca natam, emendare, ex reliquorum interpre-  
tum græcorum genio, Aquila, Symmacho &  
Theodotione præeuntibus. Quæ *vulgata lati-  
na emendatio*, cum fontes hebræos nesciret, cum  
rivi ex rivis derivarentur, autoritatem usu ite-  
rum acquisivit publicam. *Hieronymo* ajunt com-  
missam similem fuisse operam, latinam vete-  
rem ex græca ortam, ex græcis aliis corrigere:  
Sed & illi injunctum esse certum est, ex fonti-  
bus hebraicis versionem dare latinam novam. Illud  
vir præstiterit; hoc quidem, pro fide Hiero-  
nymi, præstantius. Sed nec supereft hujus,  
præter duos libellos, *psalmos & ecclesiasten*, qui ex  
hebraico fonte petiti in tomis ejus supersunt.

Non

Non vane augurantur viri periti, *Hieronymum*,  
 qui ab æmulis ex opere illo, ut videretur no-  
 vo, vehementer lacesitus, ut apologiis nume-  
 rosis vix se contra impetus & contumelias ad-  
 versantium ac ne vix quidem protegere posset,  
 non fuisse tam beatum, ut *versio nova ad hebrai-  
 eorum fontium tenorem adornata*, ferretur diu &  
 ad posterorum conspectum transmitteretur;  
 quæ per insidias mox pressa fit & extincta. Vul-  
 gatae versioni latinæ, ex græcis factæ, nomen  
 quidem Hieronymi tandem præfixum; quasi  
 ex hebraicis sic reddidisset, sed sicut detexe-  
 re viri cordati, fraudis impatientes. Plane non  
 sapere residuam latinam versionem genium &  
 stylum Hieronymi animadversum a viris atten-  
 tis, cum longe discrepet ab exemplis Psalmo-  
 rum & ecclesiastæ hieronymi: autorem ejus,  
 vel Ruffinum, vel Philonem, vel alium, dictio-  
 nis quendam spectasse deorem, non sensum  
 genuinum, multo minus fontium integritatem,  
 quam ignoraverit interpres ille. Pervenit adeo  
 ad posteros reformata illa latina *versio*, ast non  
 ad fontium, sed judaicorum interpretum sententiam  
 græcam; quæ Hieronymi nomen prætexeret, pro  
 autoritate majore. In manibus jam est exem-  
 plar, impressum Norimbergæ a. 1512. forma ma-  
 gna, hac fronte: *Sanctus Hieronymus interpres bi-  
 bliæ*. Adiectum epigramma Hieronymum si-  
 mulat amplius:

*Simachus, atque Theodotion, vel septuaginta,  
 Addo Aquilam, & quarum nomina lata patent;*  
*Quas*

Quas per ab hebrais ad gracos, deinde latinos  
 Biblia migravit, factaque digna legi est,  
 Concedunt nobis: Me namque interprete solo  
 Biblia ab hebreo fonte latina fluit.  
 Contigit hic relegi per tot modo secula solum  
 Hieronymum, & cunctos laude preire viros.  
 Os poëtae non satis elutum, frontis fuso dignum,  
 a nativo Hieronymi ornatu alienum.

Prælongis seculis hoc pigmento fascinata ecclæsia latina, bona fide usæ est illa versione, cum nemo existeret tam longo temporis tractu, qui vel posset vel vellet ex fontibus dare meliorem. Neque noctis est appetere diem, ante, quam circulus illius elapsus, ut luce orta tenebras retinere non possit, quas amaverat, sole non viso. Ut sua diei & noctis sunt intervalla.

Et Germanis visum postremo non nihil indulgeri, versione germanica totius codicis sacri, seculo XV. Qualem tentasse apud gallos dicuntur Waldenses jam olim, sed premere jussi, vi superiore fortiter urgente. Vernaculo nostro ore plures una emerserunt seculo illo caliginoso, etiam cum notis, pro populo; non scopo malo, sed successu infortunato. Omnes nihil obtinuerunt lucis ex fontibus, qui illa tempestate prorsus ignoti. Vulgata latina dedit vulgo, quod captui videretur respondere. Non tantum ex latina mala facta erant deteriores germanicae, & non ex fontibus, non ex hebreo vel græco sed ex versione, que a vulgo nomen habet, vel ex rivis adhuc turbulentioribus, Speculi historialis, vel Historiæ

storiæ scholasticæ, derivata fuerant ad unam' omnes; verum etiam dicendi genere conscripta erant duro & aspero, horridoque & barbaro; ut hodie earum lectores, germanice periti, a risu sibi temperare non posint; ut sunt verba Mayeri, in *historia versionis germanica Lutheri*, p. 1. Jam in manibus est exemplar, editum Norimbergæ a. 1483, imago seculi a barbarie parum abhorrentis.

Nox admodum longa, multorum seculorum, visa tandem *Cesare Maximiliano*, optimis literis favente, properare ad auroram, in spem diei; quando viri cordati monere cœperunt, esse tandem aliquando annitendum ad lucem, versione ex fontibus ipsis concinnanda, pro doctrinæ christianæ luce integrius ac proximus cognoscenda. Non erat nuper veritus *Valla*, *theologus italus*, integro libro latinam novi testamenti versionem emendare ex græcis novi fœderis originibus. Quanquam vero hoc studii, pii profecto & inculpati, in discrimen vitae virum præcipitaret, qui nec virgas publicas evitare posset, præmii pro tam religioso labore amplissimi nomine; non potuit tamen ecclesia, quin Vallæ supplicio commoveretur in idem studium fortius atque impensius. Siquidem ex Valla mox natus *Erasmus Germanus*, non solum Vallæ opus in lucem dedit primus, imperterritus, idem agens & enixius, sed & omnem industriam impedit in novam ex græcis fontibus versionem novi fœderis latinam, quam intrepidus in lucem

cem stitit a. 1515. Quod opus rudi ætati in sup-  
remis collegiorum subselliis, tam visum &  
novum & execrabile, ut in illud invehe-  
rentur turmatim, vel dentibus, si non ungu-  
bus laceraturi, cum autore. Sed deo visum  
& ecclesiæ, misereri tandem orbis nostri, ipfis  
fontibus, hebraicis & græcis, nostræ fidei & u-  
sui tradendis, versionibus aptis præmissis aut  
comitantibus.

Quemadmodum vero Vallæ, dein & Eras-  
mo, saxa fuere volvenda immania, & mole  
immensa, pro græcis novi testamenti rebus  
orbi reddendis, ita & illi, quos ad hebraicorum  
*codicum sacrorum restorationem* destinaret nu-  
men supremum, crudeliter erant torquendi.  
Tanti erant fontes sacri, hebraici & græci, in  
medio christianorum choro.

In Reuchlinum primus redibat conatus, se-  
culi XVI. exordio, quando in *primo hebraico  
lementorum & lexici opere* a. 1506. passim mone-  
re non reformidavit, corrigendam esse vulga-  
tam ad hebraicos fontes. Movit eo ipso in-  
fersos, qui gregatim in illum cum impetu ru-  
erent, vulgatae patrocinaturi, omnis puritatis  
expertes, humanitatis doctrinæ ignari, lin-  
guarum imperiti, barbaro ore & pectore di-  
cendo scribendoque æternum citius usuri,  
quam novum illud decus oris & mentis ad-  
missuri. Sed deo & ecclesiæ placuit nitidior,  
serenior, atque cœlo proximior rerum facies,  
fontium sacrorum usu. Quare Reuchlino

ap-

applausit cum cœlo tellus mitior atque mollior, primævis illis fœcundissimis imbribus, & scaturiginibus limpidissimis gavisa. Defenderunt hoc studium viri cordati quique, in curiis principum, in academiarum & cœnobiorum confessibus, illorumque hispidam riserunt barbariem, qui mallingent cum ranis in paludibus hærere, quam cum hominibus prandere, qui mallingent nocte coaxare, quam interdiu loqui. Erat in his, orientis lucis avidis, ut ætas ferebat, cum aliis & *Faber Stapulensis, Parisiensis theologus*, qui ad fontes adspiraret, versionis melioris cupidus, quod non solum suis in novum testamentum notis significavit, tametsi cum Erasmo alicubi contenderet; sed & aperuit a. 1508. & repetita editione a. 1513. *Psalterio Parisiis edito latino, quinque formis per columnas distributis.* Ut demonstraret, oblique saltem, frustra uni vulgatae inhæreri, cum jam olim multæ essent concinnatae versiones. Veteribus italicæ & gallicæ, sive illis populis receptæ latinæ geminæ, junxit & *Hieronymi versionem ad fontes hebraicos concinnatam*. Videlicet, neque hoc quidem cariturum invidia, quare apologiam præmittere non neglexit. Tria, ait, psalteria, tribus columnis altrinsecus e regione positi, descripta, majores nostri magna diligentia describi curarunt & descripta custodiri, ut in veterioribus bibliothecis licet adhuc intueri. Et ad hoc emittendum opus pii & religiosi viri, Cartusi & Cœlestini, hunc in modum descriptis exemplaribus hu-

manissime nos juverunt, argue ad emissionem provocarunt; deflentes, tam dignum & insignem patrum nostrorum laborem inter tineas & blattas longo situ desperire. Et ne hoc nimis novum aut insolitum videatur, ante nos gratum psalmorum pentapolum Alexandrinis fecit Origines, cui adjunxit epitomen. Ex quo quidem opere tantum abfuit ut quis eum reprehenderit, ut etiam pro ea re laudes ejus ad tempora nostra perdurent.

Interea apud italos, Prædicatorii ordinis vir, Sanctes Pagninus, Lucensis, de toto veteri testamento ex fontibus hebraicis latine vertendo sollicitus fuit; sed sero lucem opus vidit, ut postea dicetur. Neque enim auderet quisquam tale quid operis aggredi sine Pontificis consensu.

Initium fuit destinatum Reuchlino qui a. 1512. cum codices hebraicos germanis deesse videret, ut aliquid suppeditaret ex codice hebraico, pro studii exercitio, septem pœnitentiales psalmos hebraicos typis describi curavit, addita nova sua latina versione, cum analysi grammatica; quod tunc plane insolens. Resuscitatum opusculum Wittebergæ a. 1524. Non pœnitabit gratos & felices posteros, bis terve legere præloquium viri memorabile ad Jacobum Lempum, theologia & juris doctorem, Academia Tubingensis professorem, quo fato, cœli nutu, ad rem hanc arduam fuscipiendam venerit. Perrexisset Reuchlinus, in fontium versione inchoatam pertexere telam, versione latina codicum hebrai-

braicorum paranda, nisi illis ipsis annis Colonienses, Hochstratus in primis, hæreticæ pravitatis inquisitor, cum suo grege, litem illi ex hebraicis movissent, ultra decem annos, terribili tumultu protensam. Ut sunt optimis institutis impedimenta proxima, quæ surgere vetent vel veritatem vel virtutem.

Interea vero quando Reuchlino diuturnum bellum fuit gerendum pro studiis hebraicis, cum barbaro exercitu, continuis præliis, præmultis utrinque scriptis, in italia circa annum 1516. prodiit ex judæo christianus *Felix Pratensis*, literis latinis instructus, vir pro illa ætate doctus, judaicarum rerum abunde peritus, qui a. 1517. *Venetiis*, in officina Bombergii, grande opus Bibliorum hebraicorum, cum chaldaica versione & commentariis Rabbinorum, edidit primus. Hic molitus novam totius veteris testamenti versionem latinam ex fontibus. Egit hac de re Romæ cum ipso Pontifice Leone X. edendi licentiam petens. Sed difficilem invenit Pontificem; nihilque aliud concessum fuit, quam *Psalterium* edere *latino novo habitu vestitum*: Quod a. 1516. lucem vidit & a. 1522. Haganoæ resuscitatum est, hac inscriptione: *Psalterium ex hebreo diligentissime ad verbum fere tractatum, fratre Felice ordinis Heremitarum sancti Augustini interprete, per summum Pontificem Leonem decimum approbatum*. Leonis Pontificis animum suspensum in epistola ad Leonem non dissimulavit infelix. *Cum quartum, ait, abhinc mensem Roma agerem,*

& reverendissimus atque idem nobilissimus sancta crucis, & Corneliorum familie fulgentissimum lumen, Cardinales, Psalmorum tralatione ex hebreo in latinum idioma a me peterent, recusare nequam valui. Inde audacia bona plenus, recto itinere ad te proficiscens, totius sacra pagina transferenda jus a te petui. Verum, turei novitate perculsus, ut par erat, magna rei autoritatem faciliter assensu elevare noluisti, sed magis & magis penitandam, & exactiori judicio examinandam opera pretium duxisti. Cum vero audivisses, me prius tralationi psalmorum operam daturum, ut ex eo minoris jaeturae judicio quantum in reliquis sperandum esse facile judicaretur, proposito laudato me dimissti. Sed cum forte aliis de rebus ut de hoc etiam Petrum Bembum tuum alloquerer, virum si ingenii acumen & morum dexteritatem consideres, nunquam profecto satis laudatum, consilium meum laudavit. Meminit Erasmus hujus novi opusculi, anno eodem 1516. in epistola ad Henricum Bovillum, Tomo Epist. 1. 2. ep. 10. f. 110. Canuntur in templis quotidie, juxta veterum editionem, Psalmi; & tamen extat divi Hieronymi recognitio: extat ejusdem juxta hebraicam veritatem interpretatio. Illa leguntur in choris, hac in scholis aut domi. Neutra alteris officiunt. Atque adeo nuper, Felix Pratenensis psalterii torius novam edidit interpretationem, ab omnibus superioribus admodum dissidentem. Quis huic unquam movit tragædias?

Lutherus, explicaturus vernacule pœnitentiales psalmos, a. 1518. a vulgata recedens, Hieronymi & Reuchlini versiones latinas, profon-

fontium sensu, secutus est, vernaculam versionem novam adornans. Quod in præfatione diserte significavit: daß niemand Wunder habe von dem Text dieser sieben Busi-Psalmen / ist zu wissen / daß derselbe in etlichen Versen / um klarer Verstandes willen / über die gemeine translation nach der translation sancti Hieronymi genommen ist/ auch darzu beholffen die translation Doctors Joannis Reuchlini in seiner hebreischer septene. Mayerus, in Hist. versionis Lutheri, p. 3. rationem addit: illas linguis, hebraicam & græcam, nondum satis novarat Lutherus, cum a. 1517. psalmos pœnitentiales ex vulgata, sed adhibita, ut ipse in præfatione autor est, nova Reuchlini latina versione, germanice transtulit. p. 4. Hanc rem mirifico sibi incitamento esse passus est, ad græcas hebreasque literas penitus addiscendas. Quod in patmo cum ardore continuatum esse Seckendorfius est profesus. Vertit dein psalterium totum vernacule, ad hebraicam sententiam, usus, ut apparet, præter Hieronymum, & Felice Pratensi. Quam primam versionem, existimatam proprius accedere ad hebraicos fontes, quam a secunda illius manu postea profectam, Dickmannus in sua Bibliorum editione, in latere recentioris simul novissime recensuit. Joh. Potkenius, Præpositus Coloniensis, vir eruditus, postquam varios orbes viderat, & in his Æthiopiam, hinc attulit & psalterium, illa dialeto, quod Romæ edidit redux, resuscitavit Colonia a. 1518. hoc titulo: *Psalterium in quatuor linguis, hebraea, græca, chaldea [æthiopica,] latina.*

B 2

Erat

Erat hæc ætas resurrectioni cuiquam mortuum  
 affinis, quando ipsi *Prophetæ, cum Mose,* re-  
 surrexerunt, suo nativo hebraico ore locuti,  
 quando & *apostoli* in vitam redierunt, græce  
 differentes: Quod in germania, quin toto oc-  
 cidente, sub hoc europæo cœlo, prodigo si-  
 mili. Oriens in occidentem circulo insueto  
 & fato admirabili tunc revolutus, hospites de-  
 dit novos, qui omnis in cœlo & terra beatæ  
 doctrinæ fuerant doctores quondam, & sunt  
 manentque veritatis æternæ nuncii immorta-  
 les, qui inter nos ex gentibus prognatos, de-  
 gerent lāti, Erasmo & Reuchlino in Germa-  
 nia præeuntibus, Ximenio illis annis in His-  
 pania adjuvante, Felici Pratensi in Italia apud  
 Venetos cooperante. Cum Prophetis & Apo-  
 stolis ex sepulcris prodierunt eadem ætate pri-  
 mi ex judæis græci interpretes, *Ximenii* pri-  
 mum, dein a. 1518. *Francisci Asulanii* Veneti, o-  
 pe. *Quomodo prophetæ & apostoli*, ut & *judæi*  
*Alexandrini*, primæ versionis græcæ autores,  
 eodem ævi hujus momento, ex cineribus suis  
 in lucem simul emerserunt, ut suopte ore in-  
 ter germanos palam sua sensa eloquerentur  
 omnes, stupendo orbis revoluti fato, renas-  
 scantis remotæ & antiquæ veritatis testimonio  
 indubitato, incredibili germaniæ totiusque eu-  
 ropæ prosperitate. Illos autem præsentes jam  
 inter nos, quondam imperitas gentes, jam at-  
 tentos christianos, cum non momento statim,  
 utpote remota dialecto utentes hospites pere-  
 grinos, caperent nostrum singuli, *versiones quo-*  
 que

que *latina* & *vernacula* veteribus longe meliores certatim prodierunt, tanquam *prophetarum fidi ministri* & *interpretes candidi*, ne quid germanis deesset finitimusque populis ad veritatem solide cognoscendam, in reipublicæ universæ salutem, florem, & incrementa. Inter *Latinos* hos prophetarum & apostolorum novos interpretes, novi orbis adjutores, prima illa ætate in medium prodiit *Sanctus Pagninus, Lucensis, italicus*. Tametsi & alii, *Occolampadius* præsertim, partes quasdam seorsim sisterent, integrum tamen corpus sacrum ex fontibus ipsis dare subito non contigit. *Pagninus* autem multis annis, jam a Reuchlini fere exordiis, illud negotium arduum pectori volverat; quod brevi annorum circulo tam magni ponderis opus, & difficultatis saepe insuperabilis, confici primo illo tentamine nequaquam posset. Vel viginti annos primæ huic versioni, ad fontes sacros, impendit vir solers, ausurus, quod Ximenius, hispaniæ primas, Cardinalis, in suo Complautensi opere tentare reformidaverat, metu tecto retentus, nemini hanc operam committens, quæ communi tunc futura fuisset terrori. Abstinuit ab eo, quod ævum nondum toleraturum videbatur, cui satis, fontes ipsos orbi suscitasse, ausu sat grandi, periculis & odiis exposito formidandis. Quæ tristia fata prævisa opus novum, ad finem a. 1517. perductum, extempore presserunt, quando distribuere vetitum, interdicto romanæ curiæ, tenebrisque sepultum, sigillo impresso

B 3

con-

conspicuum publicum negante, donec post preces & pretia, indulgentia & gratia romanæ curiæ singulari, in manus hominum, sero interim, post aliquot annos, venire ægre permitteretur. Quæ obstacula & *Felix Pratensis* suo exemplo ex ipso Leonis Pontificis ore tristis nuper acceperat, absterritus. Neque Pagninus non sensit hos ignes, qui pariter, cautus & circumspectus, eundem Pontificem Leonem exorandum vidit, qui opus permetteret novum & inauditum. A. 1518. *Io. Franciscus Picinus Mirandulanus*, per literas illum hortatus est qui memorabile opus hocce maturaret. *Probandus*, inquit, *labor ille tuus*, & *egregie pertinax diligentia*, in *impendendis annis quinque super viginti translationi tuae*, qua non senes modo, & decrepiti, sed pueri balbutientes, & infantissimi, modo ignorari *latina lingua penitus non fuerint*, compotes futuri sint omnium mysteriorum.

Auguratus est idem, aptam versionem doctrinæ sacræ in ecclesia lucem allaturam præclaram, ad scholæ tenebras dispellendas: *in philosophia naturali*, & *in disputatrici*, que nunc plurimum in usu theologia, candidati, præter illa, & condiscient & admonebuntur, tractari multas questiones apud se, & anxias quidem plurimum, quas eruditissimi viri vix ope longi subselliit dissolvant, qua quidem quam faciles, quam nullo nexu perplexæ sint, tua ipsa interpretatione manifestam fiet.

Sed & odia præfigit aspera, exemplo Erasmi, interpretis nuperi græci codicis novi te-  
sta-

stamenti. Suggeritque apologiam contra invidiæ & contumeliæ morsus venenatos, ipsius Hieronymi fortuna pari: *Tantum abest, ut qui te summis efferre laudibus deberent, capere ansam calumniae merito possint.* Inania enim illa objectamenta, laborasse Hieronymum in utroque testamento, ac partim interpretis, recognitoris partim & castigatoris officio functum. Quo fieri, uti frustra nunc tantum opera insumatur in vertendis in nostram linguam literis sacris. Nam præter antiquam illam ipsius Hieronymi censuram, in eos homines, qui, quod ipse interpretaretur sacra, iniquo ferebant animo; nec post LXX. interpretes, post Theodosianis & Aquila editionem, post hexaplos origenis, novi quicquam saporis admittabant in animum; Et præter novam illam Eraumi, qua vituperationibus hujusmodi, ac multa quidem & eruditione & diligentia, cum respondit verbis, in factis ostendit, se in castigando laudem, & quidem præcellentem mereri, non inanis laboris nomine aut condemnari aut suspectum haberi debere.

Dolet simul, Hieronymi operam pristinam in versione nova totius codicis contexenda, ut & veteribus latinis corrigendis, esse suppressam, & ad nostra tempora non delatam, quam si invidia non suppressisset, multo hodie labore posteros posse supersedere.

Paria idem repetit epistola altera ad Pagninum, an. 1521. *Uis pergas oro, ut quod agis agas maturius quibus possum viribus obtestor, quo tandem quod inchoatum habes & multis annis versatum in manibus, & cum hebreo exemplari frequenter*

ter collatum vetus testamentum, per te etiam ex iudeorum propria lingua in nostram, eorum & literis approbantibus, magna ex parte conversum, aliquando perficere & in publicum dare possis. Nihil enim veram theologiam nosse volentibus aut gratum magis aut utile facturus es, quam si novo testamento, quod nuper (per Erasmus) ad gracum exemplar castigatum plurimi legunt. vetus etiam habuerint, tua diligentia & opera in nostram exha- brea lingua rite traslatum.

Leonis X. Pontificis indulgentiam ad hoc opus pertexendum atque edendum celebrat, vel oblique optat: *Qua in re non possum non habere & tuo & omnium in literis sacratis bene audi- enium nomine, gratias Leoni X. Pontifici Maxi- mo, quem ex tuis literis accepi opem tibi contulisse non parvam, ut juvare queas ipsarum literarum studiosos interpretatione tua. Secutus enim exem- plum est Laurentii Medicis parentis sui, cuius fa- vore & impensis magna, sic dixerim, gracia pars migravit in Latium.*

Defuncto Leone X. sua spe excidisse sibi visus Pagninus, indulgentia illa simul extin- cta, quam a succedentibus Pontificibus denuo impetrare, magni fore laboris prævidit. Sub Adriano nihil, qui brevis vitæ. Clementio- rem speravit Clementem septimum. Ad hunc igitur literas dedit, a. 1525. non pro quæren- do jure edendi, nec pro petendis sumptibus, cum illud sibi jam tum vindicaret, clemente etiam non consulto hos extra Italiam apud Gallos jam invenisset, sed pro instituto excu-

cu-

fando, neque adeo ante operis lucem, sed  
jam ferme edito, & re prope confecta. Abso-  
lutm opus *Lugduni* in exordio anni 1527.  
Cum in Italia edendi nullam vidisset spem,  
in Galliam commearat, *Lugdunum*, amicorum  
opera usus. *Lugduno Clementi negotium*  
*exposuit*, cuius quædam capita memoratu  
digna. Leonem commendat ex locupleti erga  
institutum hoc gratia: *Leo decimus, tuæ beatit-*  
*tudinis frater, cui tu Clemens, Pontifex maxime,*  
*veluti jure quodam hereditario suffectus es, in mo-*  
*deranda Petri navicula, me, cum Romæ agerem,*  
*accito, quam olim elucubraveram utrinusque instru-*  
*menti translationem, ut sibi ostenderem, benigne ac*  
*perhumaniter injunxit.* Is, cum aliquot vidisset  
quinterniones, & ex iis cetera suo praelato expen-  
ditus ingenio, volo inquit, ut meis impensis totus  
transcribatur liber, & typis, exalte revisus, excu-  
datur. Tum, ut novit tua beatitudo, non modo pro  
scribis, verum etiam pro parandis iis, qua opus e-  
rant, excursioni impensis suppeditavit, & sequenti  
deinde anno nonnulla excussa fuerunt. Sed pro  
dolor, illo posthac brevi ex humanis subtracto, gravè  
omnium mœrore, intermissa sunt omnia.

Lugdunensis editionis fata enarrat ab obi-  
tu Leonis difficultia: *Quo vulnera sauciis, cum*  
*neminem cernerem, qui meis lucubrationibus suppe-*  
*rias ferret, italia demigrandum censut;* Avenio-  
nemque concessi, cum ejusdem urbis reverendissimo  
legato. Ubi peracto ferme triennio, cum mei non  
fierem voti compos, cum ob chalcographorum rursus  
ob impensarum inopiam, *Lugdunum petere decrevi,*

B 5

Dein,

Dein, jus codices hebraicos de novo transferendi, contra contumelias imperitorum munit, ne Pontifex illis occupatus, remoram injiceret, aut interdiceret. Præcipiuus autem scrupulus, vulgatam sufficere, ab Hieronymo compositam. Quod utrumque negat. Plerisque alienis lubenter cernentes oculis, & alienis ambulantes pedibus, non sincere sacras tractantes literas, Habemus, inquiunt, in manibus divi Hieronymi translationem: Quid insuper opus est alia editione? Primum illud animadvertiscant, qui hec dicunt, illam non esse divi Hieronymi expositionem, sed Philonis ut nonnulli arbitrantur. Qui liber adeo vitiosus divo visus est Hieronymo, ut, quanquam de illius erroribus malle se dicunt reticere quam loqui, permultis tamen in dictionibus expoundis, manifeste ab eo dissenserit. Quis præterea hebraice vel mediocriter eruditus non stomachetur, & moleste ferat, cum plura ac diversa significata, qua vario modo dictionibus, scriptis atque enuntiatis, suapte natura convenienti, sub unam videat dictionem temere constipatam? Nec parvi refert, sacris in literis, que spiritu sancto sunt edita & per prophetas apostolosque conscriptæ, alienam a veritate ipsa afferre interpretationem, presertim doctoribus, prædicatoribusque veritatis, quibus divinas non licet ignorare literas.

Novos scrupulos eximit Clementi, in primis, quasi sint minutæ, versio & genuina sententia, non attendendæ; Sed cœlum, inquiunt, sacrarum literarum extenditur sicut pellis. Fateor. At non est lacerandum, disperendum-

que.

que. Sed, minima, inquiunt, sunt hac. At in minimis maximos turpiter labi & ballucinari, non est minimum; ut interim taceam, quod iis minimis maxima excutiuntur. Nam mystica sensa, que maxima putant, ceu fundamento sensui innituntur literali, iisque minimis interpretamentis. Magna dolia tenuissimis viminibus, ne vinum effundatur, ligata tenentur. Rudera minima sunt, ab iis minimis maximorum moles adficiorum fulciuntur. Videlissima est concha, & pretiosam candidamque continet margaritam. Vilis est siliqua, sed nobile continet granum. Hisce igitur in minimis, (sic enim ipsi appellant,) his in verbis, dictioribus, syllabis, acutisquisque literarum, maxima divina sapientia condita sunt mysteria.

In illos, qui sensum scripturæ literalem parvi faciant, minimorumque nomine de honestate studeant, invehitur porro: Taxavit & deus Hieronymus eximios nonnullos gracia scriptores, (patres gracos) qui historicum contemnentes sensum, suo arbitratu maluerunt in allegoriis ludere. Hec ut sciret minima, & ipse nullos fugit labores, nec iudicatos adspersatus est doctores.

Hieronymi exemplum postquam se imitatum dixerat, linguarum ipsorumque fontium longo studio, rabbinorum etiam commentariis consultis, Nos, inquit, fontem luto cænoque perturbatum, necunque purgavimus, quo ipsi e purissimo fonte hausta dulci aqua, & suam & aliorum possint restinguere sitim. Hæc comparatio vulgatae ac suæ versionis,

Culpam, qui Hieronymum ausit carpere,  
nova

nova versione surrogata, declinat, tum jure  
communi in omnes interpretes, tum detecta  
denuo fabula, vulgatam ab Hieronymo esse  
profectam: *Divum Hieronymum pro nostra virili  
defendemus, (in notis) quem ut sanctum, ut peri-  
tissimum, & colimus & adoramus: Cujus editio-  
nem in veteri instrumento neque convellimus, neque  
damnamus, neq; mutamus, neq; calumniamus: illo pa-  
elo, quanquam ab illo plerisque dissentimus in locis:  
Quod & aliis usu venit doctoribus, qui in summa  
christiane fidei consentientes, aliud legunt, ut Cy-  
prianus, ut Hilarius, ut Ambrosius, ut Augusti-  
nus, apud quos non modo diversa, sed & pugna-  
tia comperiuntur. Quanquam eam, quæ passim  
legitur, divi Hieronymi germanam editionem hanc  
quaquam esse arbitramur.*

In prologo tandem, quo impenso affectu  
in scripturæ studium quoscunque vocat, fuse  
deplorat ecclesiæ & academiarum sui ævi cor-  
ruptam faciem, quæ non dei ornetur verbo,  
sed scholæ litibus distrahat ac deformetur.  
De suis autem hominibus illi sermo est, non  
de reformatis, de pontificiis non evangelicis  
ad Lutheri emendationem. Neque clam Lu-  
thero addictum quis dixerit, in quem antea  
erat inventus. Quod candoris argumentum,  
Lutheri genio omnino respondet. *Insaniunt,*  
inquit ore Pauli, *circa questiones ac disputatio-*  
*nem pugnas, ex quibus nascitur invidia, contentio,*  
*male dicentia, suspicione mala, supervacaneæ con-*  
*flictiones hominum mente corruptorum, & quibua-*  
*ndempta est veritas, qui existimant, quæstum esse*

p. 6

pietatem. Hac Pauli verba si coto peccatore totisque  
 animis nostri expenderent pensarentque theologi,  
 ac sermonis divini pracones, humanarumque lite-  
 rarum professores, qui sacras negligunt literas; a-  
 gnoscerent, suam sapientiam non e supernis descen-  
 dere, sed terrenam, animalem, ac damoniacam es-  
 se. Nam quæ e supernis est sapientia, primum  
 quidem, ut divus prodidit Jacobus, casta est, deinde pa-  
 cifica, modesta, tractabilis, plena misericordia &  
 fructibus bonis, absque dijudicatione, sine simulati-  
 ne. Agnoscerent, fastidita dei pura, simplici, ger-  
 manaque sapientia, inanibus sophisticisque non esse  
 vacandum questiunculis, nec in tot argutiis, con-  
 gressibus, disputationibus inextricabilibus, etatem esse  
 conterendam, contemptis iis, qua opera præium est  
 discere docereque. Quippe nimium altercando ve-  
 ritas amittitur, circa veritatem aberratur. Colla-  
 tio inter dei servos esse debet, non altercatio. Sunt  
 enim ineruditæ questiones, quas rejicere & aspernari  
 monet apostolus. Stultas, inquit, & ineruditas que-  
 stiones responde, sciens, eas parere pugnas. Et rursus:  
 Hec admone, contestans coram domino, no verbo-  
 rum pugnas sequantur, ad nullam utilitatem, ad  
 subversionem audientium: Ceterum prophanas vo-  
 cum inanitates pratermissito. Ad majorem enim  
 proficiunt impietatem, crescentibus videlicet indies  
 ambitionis contentionibus. Quippe quomagis admis-  
 tuntur, hoc magis serpunt, atque succrescant. Et  
 ramen hisce studiis, quæ bumanæ prodidit industria,  
 ardenti animo, mortales incumbunt, pro his digla-  
 diantur, singula in his disquirant, excutient, riman-  
 tur, iterum atque iterum relegunt, exosculantur,

amplectuntur. Accedit studii suum quisque autorem, & emori citius exceptat, quam autoris sui patrocinium deserat. Platonicos, Pythagoricos, Academicos, Stoicos, Cynicos, Peripateticos, Averroistas, Thomistas, Scotistas, se esse jactant, illorumque dogmata penitus habent cognita, memoriter tenent, de instantibus, de relationibus, de quidditatibus ac formalitatibus disputant. Hec solum studia, erudita, subtilia, ac seraphica arbitrantur.

Hic ille Pagninus, post Hieronymum primus, qui, non in coetu nostro, a reformatione, sed in ipso ecclesiae romanæ sinu, suo usurpus jure, omnibus viris peritis communi, sine ordinis discrimine, ausus est, prioribus omnibus corruptis latinis versionibus sepositis, novam fontium hebraicorum parare, & in christianorum publicum usum edere versionem latinam, spretis contumeliis & invidiæ susurris, Erasmi animo, genio, & affectu, in novi græci testamenti nova latina versione, pro veteri vitiata, publice nuper exhibita. Duæ jam latinæ totius codicis sacri versiones, una vulgata, ex græcis priscis versionibus, altera ex ipsis hebraicis fontibus. Quod ab apostolorum ævo non erat visum, nec ullo augurio prius prævisum, aut possibile, per communia scholæ fascina, & vulgatæ autoritatem, creditum. Optaverat Reuchlinus, non paravit, impeditus mille modis, nec vidit hanc, priudem defunctus.

Fecit omnino Pagninus, quod potuit, uti fecerant quondam, judæi & christiani, græce & latine vertentes. Præstítit multum, et si non

non omnia, quod vix expectandum unquam. Laudandus conatus, & juvandi studium, pro veritatis luce. Defuere viro diligenti, ex seculi nimis densa caligine, potiora interpretationis momenta, ex integroribus bonis literis, antiquitate, historia & geographia. Satis, viam monstrasse secuturis, praeundo, pro juris sui usu. Non metuerat Erasmus contumeliarum strepitum, nec timuit Pagninus invidiae tela, uterque primus novus interpres, ille totius novi testamenti græci, hic veteris hebraici; uterque in eadem ecclesia romana, eodem ævo, tam longis post prophetarum & apostolorum tempora seculis, sole jam tandem orituro.

Profuit Pagninus & Lutherò, vetus testamentum ad fontium hebraicorum sententiam illis annis apparanti, opitulantibus pluribus in Academia professoribus.

Videri posset Pagninum æmulatus, vel vieturus, Steuchus Eugubinus, italus, edito itidem *Lugduni a. 1531.* libro, hoc nomine: *An-  
gustini Steuchi Eugubini Veteris testamenti ad ve-  
ritatem hebræcam recognitio.* Verum, tantum abest, nova hæc esset versio, ut potius versio-  
nis Sanctis Pagnini videretur censura, in vul-  
gatae latinæ defensionem. Nec enim versio,  
sed notæ quædam in textum sunt, quibus da-  
ta quavis occasione vulgatam excusat, nomi-  
ne Hieronymi, quem vulgatæ autorem pro-  
pugnat. Quam tenues hæ sint observationes,  
& quam frigida Pagnini reprehensio, per e-  
xilem

xilem in Steucho hebraicæ linguæ cognitionem, Munsterus integrius enunciabit, ut detegendæ imbecillitati tempus non sit impendendum. Praestitit interim & Steuchus quod in ipso fuit, per ætatem, cum illa ætas bonas litteras illi invidisset, unde & stylus versionis asper.

Successit mox in eodem hoc foro, *Sebastia-nus Munsterus, Ingelheimensis germanus*, multis in hoc studio monumentis clarus, antecessoribus in hoc genere peritior. Vedit primis Pagnini conatibus deesse permultum, nova aptiore, puriore ac dilucidiore versione resarcendum; sed & jus Pagnini, non solum suo etiam exemplo roborandi, sed & adversus cavillationes Steuchi vindicandi, ansam apprehendit. Quæ *nova luculentior versio* cum notis in lucem venit Basilea a. 1534. Ante omnia se munit contra molestos susurros, exemplo Hieronymi: *Audent dicere se zelo dei moveri, etiam quando grassantur & tyrannice saviunt in proximi necem, ob violatam humanam constitutiunculam, cuius quidem observantia, nec tantillum meliorem reddit animum, aut ejus promovet salutem. Tali quoque Zelo aut potius invidia laborabant plurimi, divi Hieronymi censporibus, nullibi non insidias struentes viro sancto, non ob aliam causam, quam quod opus pium & sanguinem moliretur, nempe veteris instrumenti sinceriorem versionem.* De imbecillis primis versionibus candidate pronunciat: *Videbat vir pius & doctus, Hieronymus, latinos vera & genuina legis atque prophetarum destinatos lectione. Nam septuaginta interpretum*

*editio*

editio, qua tunc locorum ubique receptissima erat, apud  
gracos & latinos, nedum perperam in plerisq; locis ver-  
sa fuit, verum & per scriptores atq; sciolos plurimum  
corrupta; id quod & hodie facile paret conferenti edi-  
tionem illam juxta hebraicam veritatem. Ut interim  
rarecam, illos non admodum peritos fuisse hebraica lin-  
gue. Id quod vel inviti cogimur fateri, alioquin in plus  
rimis locis non tam fœde lapsi fuissent. Videbat id in-  
quam, Hieronymus, sicut & Aquila, Symmachus, Theo-  
dotio, atq; multi alii studiosi viri, & hujusmodi errori-  
bus corrigendis animum adjecerunt, quisq; pro virili  
sua, indignum rati, quod cum in omnibus rebus abesse  
debeat depravatio, sacri codices impuritatem admix-  
tam haberent, qui tamen in primis illustrandi & exter-  
gendi erant, atq; in nitorem suum vindicandi.

Vulgatae latinæ maculas demonstrat: Non sic  
omnia ad virum resecarunt priores interpretes, quin po-  
steri semper aliquid adhuc emendandum deprehenderint.  
Nam qui hebraicam linguam vel mediocriter est doctus fa-  
cile videbit, interpretem nostrum (latinum) quicunq; tan-  
dem si fuerit, interdum non satis oculatum fuisse. Sensit id  
Nicolaus Liranus, Paulus Burgensis, Joannes Reuchlinus,  
Santes Pagninus, Martinus Lutherus, & Augustinus Steu-  
chus, etiam si plerumque se vidisse dissimulet. Sed & Ju-  
dae nostram (latinam) in nonnullis locis rident editionem,  
dicentes, eam hebraicæ veritati non per omnia & ad amus-  
sim respondere. Advertimus & nos, jam a viginti annis,  
a tempore quo sub Conrado Pellicano, fidelissimo preceptore  
nostro hebraicari cœpimus, labores quasdam intolerabiles ir-  
repisse, non tam interpretis culpa quam scriptorum vistio.  
Et certe non est perpetuo ad hac conniventum.

Contumelias præagit, quibus oneranda hæc illius nova  
versio: Vereor, ne si quis diligentius illa conetur emendare,  
scuti omnes pro domini verbo Zelare tenemur, totus contra  
suum commoveatur orbis, excitantur tragædia, clamens o-  
mnes, vociferentur, ingemiscant, & nemo moribus & vita

tam alienus sit a christo, qui hic non ostenteret, se zelum gerere pro verbo domini, etiam si nunquam opere & veritate illud implere studuit. Quia in recessum talibus expostulare caperimus, querentes, quanam ratione sic insaniant, nihil habent, quod respondeant, nisi quod per veteres communis illa editio sit probata. Tanta est enim verutatis consuetudo, ut divi Hieronymi utar verbis, ut etiam confessa plerisque virtutia placeant.

Comparat sua cum Erasmo fata, in versionis negotio: *Nemo non novit, quantus tumultus superioribus annis excitatus fuerit contra Erasmum, quod corrigere ausus fuerit, ita enim illi loquuntur, sanctum evangelium, & violare rem tam sanctam. Idem mihi eventurum scio, multorum calumnias haud obscure prævidens, qui in hoc theatrum ingredi presumserim, & veteris testamenti novam tentarim versionem, etiam si sciam me comparatione hujus viri nihil esse.*

Post hæc, de autore vulgatae versionis acturus, præmittit suam sententiam, quod non ignorat, apud eos qui hebraice nesciunt, nihil esse certius, quin dominus Hieronymus illam fecerit editionem, qua hodie omnium latinorum teritur manus. Exinde Augustinum Steuchum, Italum illum, aggreditur, qui vulgatam tueri contra Sanctem Pagninum, omnesque novos interpretes, contenderit. Cum insimulet Steuchus linguam hebraicam tanquam horridam, duram & perplexam, respondeat Munsterus, bene dicere Steuchum, quippe quod Steucho fuerit dura & perplexa, in qua vix duas vel tres tenuerit voculas miseris & infelices; qui multis probat, curtam Steucho in hebraicis fuisse supellestilem. Dixerat Steuchus, vulgatae patronus, inter hanc vulgatam & hebraicam veritatem fere nullam esse differentiam; vulgatamque esse absolutissimam, *Miror hominem*

nem, inquit Munsterus, quod sibi ipsi tam parum constet, qui super pentateuchum in pluribus quam sexcentis locis carpit Hieronymum, quem vulgata editionis afferit autorem. Quia igitur fronde jubet audacter contemnere eos, qui ex hebraorum fonte ostendunt, vulgatam editionem in plerisq; locis esse mancam.

Demonstraturus, vulgata autorem non esse Hieronymum, differentiam vulgatae a sententia hieronymi multis declarat locis, ostendens, longe vulgatam editionem disidere ab hebraica veritate & ab ipsis Hieronymi interpretatione. Pergit, totius Ecclesiastæ exemplum sistens, cuius versio vulgata & Hieronymi prorsus differant: Tota editio Hieronymiana in Ecclesiaste disidet a recepta editione. Par ratio Psalterii integri: Extat & genuina Hieronymi versio, quam fecit in psalterium, qua sola satis ostendere potest, receptam editionem non esse Hieronymi. Objicebatur: Hieronymum emendasse juxta fontes versionem græcam, aliorum interpretum editionibus collatis, postea ex hebraicis aliter explicasse: Ut duæ illius sint versiones aut interpretationes juxta fontes. Munsterus geminam Hieronymi non agnoscit. Quod adstruit primo genuino exemplo Ecclesiastæ Hieronymi: *Editio Ecclesiastæ est hebraica veritati per omnia conformis*, & illam Hieronymus in commentariis suis explanat, nec est admodum elegans, si latinitatem speles, cum hebraismi non sint immutati: *Vulgata autem est elegans, sed disidet in plerisque locis ab hebraico textu*. De gemina Hieronymiana versione, hebraico textu consulto, testatur scrupulum: *Non est vero simile, quod Hieronymus*

correxerit editionem septuaginta ad amissim juxta  
hebraicam veritatem, illamque commentariis illustra-  
verit, suam vero stylo ornaverit, aliterque verterit,  
quam hebraicus habeat textus. Veram, non suppo-  
sititiam Hieronymianam, hebraicis fontibus re-  
spondisse, ita ut judæorum censuram ferre pos-  
set, ex ipsius Hieronymi frequentibus effatis,  
longo ordine probat. Cum Steuchus diceret,  
vulgatam a judæis corruptam esse clamari, addit  
Munsterus: *Hinc constat illam Hieronymi non esse,*  
*cum Hieronymus hebreorum fretus auxilio, talem fe-*  
*cerit editionem, quam nullus judæus calumniari pos-*  
*set, imo rogaverit amulos suos, ut priuquam lacerent*  
*editionem, interrogent judæos, ex judæorum iudicio se*  
*illam velle estimari.* Subjungit, Hieronymum in  
genuina sua versione non sectatum esse linguae  
latinæ decorem, sed expressissime hebraicæ linguae  
indolem, humili & simplici dicendi forma: Cum  
ergo vulgatae autor contrarium secutus sit, ser-  
monis quendam nitorem, sententia a textu he-  
braico aliena, Hieronymum non esse vulgatae  
autorem.

Postquam prolixè asseveraverat Munsterus,  
non aptum esse hebraicorum fontium interpre-  
tem, nisi & Rabbinorum consulere possit scri-  
pta, suam de origine & autore vulgatae promit  
conjecturam: *Videretur mihi ea esse vel Theodotionis,*  
*vel Aquile, vel Symmachii, aut omnium istorum, sed*  
*quam latinus aliquis, hebraice indoctus, cultiori ad-*  
*ornavit stilo. Factitium vocat interpretem, sive Ruf-*  
*finus fuerit, sive quicunque alius, qui vel Symma-*  
*chi, vel aliorum græcorum versionem volue-*  
rit

rit facere latiniorem. Fieri etiam potuisse conjicit, ut amulus aliquis Hieronymi, in angulis Hieronymianam legens versionem, illam pro voto suo emendaverit, aut magis corruperit, & praetextu prefationum Hieronymi, nomine Hieronymi illam venditarit.

Suppressam esse genuinam Hieronymi versionem pronunciat apertius: Certum est, Hieronymi temporibus, antequam ille suam parasset editionem, fuisse verius testamentum in omnibus ecclesiis latinis, per Italiam, Africam, Hispaniam & Galliam constitutis. Et facile fieri non potuit, ut rejecto priori exemplari, sive LXX. illud fuerit sive Symmachi aut Theodotionis, novum illico acceptarint, & cum magnis expensis describi curaverint: Præsertim cum Hieronymi versio tot tunc habuerit obrectatores, & unum exemplar tunc non facile in multa millia potuerit multiplicari, sicut nostro aeo. Non tibi mirum videri debet, lector, si dixero, Hieronymi translationem in universum interisse, prater unum Ecclesiasten & Psalterium, qui suo aeo tot habuit amulos; Et exinde uno exemplari, facile tunc fieri potuit, ut universus ejus perierit labor. Id quod multis ejus commentariis quoq; accidisse nemo non novit, qui Hieronymum legit, qui tamen tot amulos non leguntur habuisse.

Tres novæ jam fontium hebraicorum integrorum versiones, intra decennium, illa aetate prima orbis reformati, Pagnini, Lutheri, & Münsteri, duæ latine, una germanica. Suo jure usagens utraque, Romana & Saxonica, fontes sacros versione subinde nova illustrandi. Codices hebrei remotissimæ ætatis, ab ore & genio nostro omni ex parte dissoni, ex oriente occidenti dati & consecrati, intelligi simul & semel a majoribus nostris, ex gentibus oriundis, neutiquam potuerunt. Regiones in vetustissimis illis monumentis memoratae, orientis cœli, nostris

terris plane ignotæ fuerunt, ut nostri homines  
in libris sacrī hisce, qui ubique topographiæ ve-  
stigia monstrant, hospites velut in sylvis vag-  
rentur. Quod doctissimorum etiam interpre-  
tum omnium commune fuit fatum. A regioni-  
bus certe tota quælibet pendet historia, ut igno-  
rata topographia historia nullo modo possit ca-  
pi. Historia sine topographia est musica surdo,  
est pulchra effigies cœco, est error in sylvis &  
desertis. Hic in occidente defectus, inficitia ori-  
entis, optimorum interpretum versiones vita  
privavit & sensu, ut locis ignoratis nec res gestæ  
caperentur, quæ non in aëre sed suis locis con-  
tigerunt. Circumstantia loci nervus est primus  
& præcipuus historiae. Ut geographiæ imperitia  
vim & animam historiae negavit, ita & versiones,  
quæcunque demum, sine utroq; illo adjumen-  
to, necessario obscuræ, alienæ, peregrinæ & im-  
perfectæ evaserunt. Neque hoc unice in libris  
valet historicis, velut Mosaicis, Josuæ, Judicum,  
Samuelis, regum, similibusque chronicis, sed &  
in ipsis prophetarum orationibus, quæ tantum  
non ubique de patrio solo, per omnes Cananææ  
provincias & oppida, de montibus, fluminibus,  
proventibus maribus, cœli terræque conditione,  
continuo differunt; sed & vicina, imo & remota  
orientis regna, quoad provincias iterum & urbes  
perpetuo nominant. Quæ si lectori & inter-  
preti non sint in oculis, nec oraculum vel unum  
penetrari recte potest, quod semper ad aliquam  
regionem aut oppidum est restrictum, quorsum  
oraculi scopus tendit. Quibus in occidente im-  
pedi-

pedimentis prægrandibus sociata fuit styli hebraici sublimis concisa textura, a græco & romano, multo magis germanico ore longe remota: cuius vim pervidere non est unius alteriusque seculi.

Quamobrem majorum versiones conatus sunt, iisque primi, qui posteris imbecillitatem detexerunt occidentis, & peritiæ tenuitatem. Caloaria sunt atq; incitamenta ad pergendum, cum annis & seculis, ad antiquitatis studium curatius, ad historiæ & geographiæ orientis scrutamen solertius.

Quæ in parandis fontium hebraicorum versionibus in occidente longis illis seculis infirmitas, ægritudini par, ansam dedit gemino hoc seculo, ut vix inchoatum vertendi ac illustrandi studiū indefesso labore continuarent viri periti per omnes europæ provincias. Jure fontes hebraicos melius rectiusque vertendi omnibus per europam christianis agnito, nulla natio suum illud commune jus neglexit, sed velut certamine quodam singulæ æmulatæ sunt vicinas, novis melioribusque versionibus apparandis. Hispania, Gallia, Italia, Anglia, Batavia, Dania, Suecia, Polonia, suam quæque peculiarem sortita est, viris doctis enixe eo contendentibus. Vernaculæ illæ omnes, per sua regna. Sed & latinæ, per cunctas iterum terras, subinde aliæ aliæque, in omni religionis ac professionis discrimine, siue romani sint sine evangelici. Jus omnium omnibus salvum, in ipsa romana ecclesia per Reuchlinum, Erasmus, Pagninum & Munsterrum resuscitatum, & ante nos opere ipso exerci-

tu. m.

tum. Et nos evangelici usi sumus, utimur & utemur eodem jure, quod nostrum, quia commune, sed & a romanis nobis traditum, & ad nos propagatum. Par jus in hoc studio omnium, possessione continua roboratum. Quomodo inter nos hodie, per diversas terras difficultimus hic labor magna nec infelici continuatur industria. Post multos alias, *Smidius Argentoratensis* novissime novam exhibuit versionem; inter Batavos *Clericus* orsus est similem texere temlam. Crescente bonarum literarum cultura, crescat antiquitatis lumen, crescat & fontium serenitas, ut versiones subinde parentur integiores ac dilucidiores. Qua fortuna gaudebunt posteri, & posteriorum nati.

Nos gratias agimus nostris a gemino hoc seculo majoribus, qui suo jure usi, inter romanos & evangelium professos, tentarunt, ut potuerunt, pro sua peritia, & sui ævi luce, fontes exprimere ore novo, latino vel vernaculo. Utimur avito illo & nostro jure nos quoque, annitentes indefesso labore ad penitorem antiquitatis cognitionem, in historiæ præsertim & geographiæ remotis & neglectis atque implexis circulis penetrans ac eruendis. Uthi etiam præsidij instructa nostra ætas, non nihil superiore beatior evadat, & ad intelligendos fontes sacros aptior. Damus posteris, quod nostrum, quod ipsorum, non immunita atque extenuatum, sed integrius atque aliquanto illustrius, ut non ex neglectu male precentur nobis, sed ex profectu gaudeant, sibi suæque iterum gratulentur posteritati, non segniores futuri nobis & proavis, sed industria vel pares vel superiores.

Deum vero rogamus per omnium salutem, servet illibatum jus, quibus dedit; addat Principibus animum, ut benigne tuncantur, quod regnum ac subditorum commodis unice sacram est; vires largiatur ingenii illis, quorum opera utitus

& utetur, ut veritati & virtuti, ex fontibus sacris, illa via propinqua, solidum ponatur fundamentum,

Scr. d. 24. Aug. M D C C X X I.


in memoriam solennis feriae de jure versionis.

153243

X 2324135

72.

17



# BENEFICIUM VERSIONIS FONTIVM HEBRAICORVM, LVTHERI

A. MDXXI. mensibus æstivis, in patmo,  
*pro versione paranda*  
hebraicas & græcas literas excolentis  
*memoria seculari*  
in academia Julia

A. MDCCXXI. d. XXI. Augusti  
*publica feria loco*  
in auditorio illustratum

ab

HERMANNO von der Hardt/  
Acad. Jul. Sen. & Präp. Mariæb.

*Helmstadt,*  
Typis SALOMONIS SCHNORRII.

MDCCXXI.